6

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

MICTU CRUENTO,

QUAM,

PROPITIO NUMINE DIVINO

ET

GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,

PRÆSIDE

DN. D. MICHAELE ALBERTI,

POTENTISS. REGIS BORUSSIÆ CONSILIARIO AULICO, MEDICINÆ ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO, ACADEM. CÆSAR. NAT. CURIOS. COLLEGA,

FACULTATIS MEDICÆ DECANO SPECTATISSIMO,

PATRONO, AC PROMOTORE SUO CUM HONORIS CULTU PROSEQUENDO,

PRO GRADU DOCTORIS

Summisque in arte Medica Honoribus, Insignibus ac Privilegiis More Majorum Solenni obtinendis,

Horis ante- & pomeridianis. d. Septembr. MDCCXIX.

Publicæ ventilationi submittet

GOTTLIEB GOTSCH,

LIGNIC. SIL.

HALAE MAGDEBVRGICAE

Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.



PRÆLOQUIUM.



Non otiosa aut sterilis est *S. Salviani* meditatio in *Ep. ad Caturam: imbecillitas carnis, mentis vigorem exacuit & affectis artubus vires corporis in virtutes transferuntur, ut mihi genus quoddam sanitatis esse videatur, hominem interdum non esse sanum:* cum quo dicterio convenit *S. Ambrosii Lib. I. de Pœnit. cap. 12.* effatum: *consummatur carnis fortitudo in infirmitatibus:* sane haud inelegans hæc asserta de salubritate morborum perhibent testimonium; & quamvis via, qua ad quamvis salubritatem pertingere licet, ardua & variis salebris prædita sit, ea propter vero difficilior & operosior aditus metam non penitus præcludit, neque ultimum scopum infelicem aut perniciosum reddit: per aspera enim ad astra, & honores involvunt labores, imo nullum commodum est, quod non aliquod incommodum secum afferat, ita per ignominiam ad gloriam, per dolores ad honores, per infirmitatem ad robur utplurimum vitæ humanæ transitus & successus esse conspici-

untur: uno itaque ſublato, tollitur alterum: etenim qui pericula & labores metuit, ſed otia & ſocordiam amat, haud ullum vitæ ſuæ ſalutarem reportabit uſum: Quodſi vero ſubroſtranus aut otioſus quidam tantum gravitatem laborum, periculorum, difficultatum, incommodorum, moleſtiarum, faſtidiorum obſervaverit, tunc procul erit à vera ſalubritate & vtilitate agnoſcenda & apprehendenda, ſed ſub conſtanti tali anxia incommodorum averſione, ſemper miſer erit: Non male hanc meditationem ad generalem morborum conſiderationem applicare poſſumus, de quibus multi imo plurimi affirmant, quod adverſum, moleſtum, terribile, ſanitati oppoſitum, periculoſum, deteſtandum, pravum, abominale accidens ſit: ſicuti homines carnales afflictionem & tribulationem chriſtianorum fugiunt & pro perniciosiſſimo onere æſtimant, licet in illam cadat Lemma illud Herculeæ clavæ inſcriptum: *Noxia monſtris*: qualia monſtra ſunt peccatum, mala mundi exempla, corruptio carnis humanæ, ſive pravæ cupiditates, diabolus, ſeductiones mundanæ &c. ita profani nobis videntur illi, qui indiſcretim & ita abrupte atque abſtractè omnem morbum condemnant atque contemnunt & ſciola judicandi ratione pro abſolute pernicioſo accidenti declarant, cum tamen ſatis ſæpe nulla melior via ad ſanitatem & ſalubritatem ſit, niſi per morbum pateat: non jam de eo loquimur quantas utilitates morbidæ afflictiones animæ afferant, ſed quomodo multi morbi corporis conſervationi directè, eſſentialiter, abſolutè, ſimpliciter & per ſe inſerviant, ut propterea nobis admodum debilis videatur oblocutio, quaſi propterea morbus ad
nul-

nullam ſalubritatem adſpirare poſſet, quia vel multa incommoda involvit, vel quia ſub illo ſæpe homines moriuntur, aut quia plurimi homines morbis vitam amittunt: quo loco quidem in tantum omnino conſentimus, ſi juxta vulgarem acceptionem morbus dicitur læſio ſive fluidæ ſive ſolidæ partis, qualis quidem juxta aliam acceptionem morbus eſſe haud poſſet, cum rarius ita immediatè eædem læſiones obſerventur, & non niſi ex diverſis aliis alterationibus agnoſcantur, ut ita rectius ex immutatis diverſis functionibus atque commotionibus morbus dijudicetur, quæ ipſæ vero proinde utplurimum aliquid ſalutaris intentionis & contentionis involvunt: Quapropter diverſæ viæ ſunt, quibus anima humana tum in moralibus tum in vitalibus negotiis ad ſalutarem ſcopum pertendit; quemadmodum in extraordinario caſu, ſtatu & periculo eadem extraordinaria methodo utitur, qua commodum ſuum aſſequi poteſt, ut ita interdum incommoda & moleſta adminicula ad utilitatis & ſalubritatis acquiſitionem & poſſeſſionem neceſſaria ſint; nunc quidem non male ab *Hippocrate* morbus vocatur, licet non exacte definiatur *Lib. de Flat.* §. *2. text. 8. quicquid homini moleſtiam & triſtitiam affert:* quare *Joh. Antonida van der Linden* in *Select. Med. XV.* §. *80.* dicit: *hoc proprium Morbi eſt, non ſincere hominem ſui potentem eſſe, quin intercedere functionibus ipſius, & variis corpus moleſtiis afficere & affligere doloribus multimodis*: carpit ipſe proinde Galenum, & pergit: *Galeno de diff. morb. I. ac ſæpe alibi definitur morbus, diſpoſitio præter naturam functionem lædens, non male quidem, ſed ſubtilius quam utilius.* Ex hac vero morbi appellatione vix quisquam elicere poterit, quod o-

mne illud, quod hominem vexat aut moleſtia atque dolore afficit, propterea etiam noxium & abſolute perniciosum exiſtat: longe alterius interpretationis atque acceptionis eſt morbus in mente & declaratione *Sydenhamii*, qui in limine ſuorum opuſculorum *Morbum nihil aliud eſſe* dicit, *quam naturæ conamen, materiæ morbificæ exterminationem in ægri ſalutem omni ope molientis.* Sed ne nimis diu in abſtracta tali animadverſione hæreamus, mox placet in concreto hanc veritatem demonſtrare & quidem eximiæ dignitatis exemplo & teſtimonio Hæmorrhagiarum variarum, quæ licet quantiſper naturæ adverſæ eſſe videantur, tamen non exiguam, ſed ſatis evidentem ſalubritatem inferunt, ita ut qualemcunque illarum perturbationem aut imminutionem morbida facile alteratio conſequatur: & quamvis quædam ſpecies ſpontanearum ſangvinis profuſionum, alium quam ſalutarem exitum nanciſcantur, tamen accidentales tales decurſus atque eventus merito ab eſſentiali illarum deſtinatione diſtingvendi ſunt; quemadmodum hac ratione excedentes Hæmorrhagiarum ſucceſſus, non cum legitimo harum ſtatu confundi debent, neque indiſpoſitio loci ordinis, temporis &c. cum generali ſalutari reſpectu atque applicatione commiſcenda eſt; è qua conſideratione facile apparebit, quid in qualibet Hæmorrhagiarum ſpecie ſalubritati aut damno adſcribi mereatur: Eo magis vero medicæ artis commodum promovebit diſquiſitio in qualibet Hæmorrhagia inſtituta, quomodo partim una cum alia ſpecie ſpontaneæ ſangvinis evacuationis conſentiat, & quomodo partim à cauſis magis tacitis, intimis & principalibus, quam craſſis, violentis, craſſius ur-

gen

gentibus & ſtimulantibus proveniat, nec non quomodo à merè fortuitis & omni deſtinatione atque ſcopo deſtitutis cauſis hæmorrhagia una ab altera diſcrepet, utpote quæ conſideratio non infimæ dignitatis eſſe nobis videtur, cũ non negemus, quod quælibet Hæmorrhagiarum ſpecies, à cauſis violentis, fortuitis & confuſis ortum capeſſere ſoleat, quæ vero quoad ætiologicam dijudicationem & therapevticam tractationem vix tanti valoris eſt, ac quæ tacite atque ſponte erumpit & procedit: Inter alias tales ſpontaneas ſangvinis evacuationes quæ peculiarem disquiſitionem merentur occurrit Sangvinis Mictio, quæ partim ob diverſas & illas quidem ſatis ſonticas cauſas, partim ob exactum aliquem conſenſum cum alia Hæmorrhagia particulari tali deductione & animadverſione digna eſt: Et cum pars officii noſtri ſit, quo Inaugurali Specimine, utilem aliquam materiam practicam publica diſſertatione proponamus & explicemus, ita hac vice de MICTU CRUENTO agere cum DEO conſtituimus. Adſit hic ſummus rerum noſtrarum moderator huic præſenti labori gratia & benedictione ſua, eundemque & medicæ arti & proximo afflicto utilem & ſalutarem eſſe jubeat atque efficiat.

§. I.

QVando de *Mictu cruento* diſſerere nobiscum conſtituimus, tunc quidem haud diffitemur, quod facile alicui hæ cogitationes ſuboriri poſſent, quaſi ſolem facibus adjuvare velimus, ſiquidem hæc tractatio inter Doctores Practicos & obſervatores fermè ex ſuperfluo & abunde commendata & explicata ſit, ita ut *rem actam*

age-

agere videamur; utut vero hæc ita ſint, tamen cuilibet obſervationi interdum *explicatione*, nonnunquam *confirmatione*, aliquando meliori *coordinatione*, quandoque ulteriori *applicatione* ſuccurrere licet, hinc nihil ſub ſole *perfectum*, neque quicquam eſt, cui non aliquid *addere* integrum ſit, propterea vero anteacti labores minimè contemnendi, ſed eo magis *commendatione* vel *illuſtratione* digni ſunt, quemadmodum aliquando inter antiquos utiles animadverſiones & obſervationes occurſant, quibus nil niſi *ordo* & firmior *connexio* atque *applicatio* deeſt: interdum etiam contingit, ut *utiles* quædam conſiderationes *neglectæ* fuerint, quæ propterea è ſuis *ruderibus* inquirendæ & ad *futuros uſus* atque fructus aptandæ ſunt: proinde etiam haud tergiverſari, ſed rotundè ediſſerere debemus, quod in Mictus cruenti tam *Hiſtorica* quam *cauſali* deductione adhuc *notatu* dignæ circumſtantiæ occurrant, quæ pro dignitate ſua *nondum* ſatis *clarè*, aut nondum ſatis *rectè*, aut nondum ſatis *diſerte* & accurate, aut nondum ſatis *diffusè* explicatæ & præpoſitæ ſunt: ne vero hæc tantum in *abſtracto* ſignificemus, mox placet in præſenti negotio & ſubſtrato affectu, annotare, quod *plurimi* reſpectus verſentur circa *craſſas* cauſas, craſſosque effectus, & quod *intimiores*, ſubtiliores fontes, adeoque tacitæ cauſarum efficaciæ & *ſpontanei* decurſus & *conſenſus* valde negligantur: hinc in reliquis ſcientiis, circa quas homo vertatur, illa calamitas illeque nævus irrepſit, ut multi certitudinem rei & *fidem* ſuam *craſſis* palpitationibus & *contactibus*, nec non *viſionibus* aliisque *externorum* ſenſuum applicationibus atque uſibus conſecrent: quanquam vero propterea non conſultum ſit, aliqua *ſupponere* aut hariolari, vel tantum *abſtractivis* conceptibus inhærere, ſed omne ſtudium eò adhibendum eſt, quo *evidentes effectus* per cauſas, quas *ingenua ratio* & *probata experientia* ſubminiſtrat, explicentur & quo concurſus *fortuiti*, *violenti*, *irregulares* atque *turbulenti*, ab aliis

re-

respectibus, qui *altioris* indaginis sunt & sub *alio imperio* atque *directorio* stant, neque a causis tantum *lædentibus* & absolutè *perniciosis* pendent, prudenter discernantur; & *hæc* consideratio in *communi* mictus cruenti explicatione nobis videtur *deficere*, quem defectum aliquo modo *supplere* conabimur: subinde vero nobis videtur *illa operatio* longè *majoris* momenti esse, quæ non à causis *communibus* deduci potest, sicut mictus cruentus ab *acrimonia* & ab inturgescentia sanguinis, &c. derivatus, longe *frequentius* obtingere deberet, ac quidem vulgo solet: quo adhuc spectat perutilis illa observatio *consensus morborum* inter se invicem: & cum ex parte *mictus cruenti* tractatio ad hunc *consensum* illustrandum apprimè inserviat, ita *hujus* etiam *observationis* peculiarem mentionem injicere lubet: accedit denique quod hactenus variis occasionibus D. D. Præses *diversarum Hæmorrhagiarum* indolem, scopum atque nexum publicæ inculcaverit, maxime vero & *Menses* & *vomitum cruentum* speciali themate cum *Hæmorrhoidibus* cohærere monstraverit, ita annitemur præcipuè hac occasione, quo commonstremus an & quomodo *mictus cruentus* cum *Hæmorrhoidali* fluxu *communicet*.

§. II.

Neque quidem placet *antiquiorum* medicorum *distinctioni* inter *mictum sangvinis* & *urinam cruentam*, quam in variis locis *Joh. Raymundus Fortis* allegat, inhærere, quippe quæ tam ad *ætiologicum*, quam *Therapevticum* usum haud multum confert, quare per *Mictum cruentum* intelligimus & explicamus, illam speciem *Hæmorrhagiæ*, qua sive *simplex* & *sincerus*, sive *cum urina* mixtus *sangvis* mingitur, qui *haud eximiè* floridus, sed à *sero urinoso* aliquando quantisper alteratus est, unde interdum sub *cruoris colore* atq; *consistentia* emittitur, quando videlicet effusus & affusus sangvis *aliquamdiu* in *vesica urinaria* detentus fuit; ita etiam propiori sensu *cruor* & *cruentum* prædicatur de sangvine *non valde florido*

& *fluido:* neque quidem eapropter hujus Hæmorrhagiæ explicatio & commendatio negligenda & obliteranda eſt, quia *rarius* ad *actualem* effectum & *eventum* pertingit, ſed militant varia momenta pro *utilitate* hujus ſpecialis deductiones, ſiquidem 1) in hac ſpecie Hæmorrhagiæ variæ *peculiares* animadverſiones occurrunt, quæ vulgo *non multum* attenduntur: 2) inſervit hæc tractatio ad *uberiorem Hæmorrhagiarum illuſtrationem, connexionem* & *rationalem* explicationem: 3) quadrat inſuper eo, quo effectus mere *præternaturales* & ſimpliciter *pernicioſi, accidentales, turbulenti* & *confuſi*, ab aliis *organicis* operationibus & *rationabilibus directionibus* atque proſecutionibus diſcernantur: 4) illuſtrat præterea perutilem commendationem & applicationem morborum, per certas *ætatum periodos* variantium: 5) multum etiam lucis affundit negotii *hæmorrhoidalis* illuluſtrationi & commendationi: 6) hinc non parum utilitatis affert, ad demonſtrationem *nexus morborum* cum *Hæmorrhoidalibus* motibus conſpirantium, ut *colicorum, nephriticorum, iſchiadicorum, gonagricorum, podagricorum, arthriticorum* vagorum & quotquot alii hos affectus conſequuntur: 7) neque tantum genericè hunc *conſenſum affectuum* inculcat, ſed eximiam utilitatem in commonſtrando & certiorando *conſenſu partium, motuum* & *finium* ſubminiſtrat: adeoque 8) *Praxin medicam* adjuvat, ne ita *promiſcuè* cum *craſſis, violentis* & turbulentis, *confuſis* & perverſis cauſis congrediatur, ſed quo propterea 9) *prudenter* dijudicet & diſcernat motus *naturæ*, à cauſis *materialibus* & merè *phyſicis*, quæ *citra alium* reſpectum per *nudam* partium *læſionem* & *noxiam* corporis offenſionem operantur: 10) confirmat porro hæc tractatio illam *obſervationem* exquiſite practicam, quomodo interdum natura humana *primarias ſalutares* Hæmorrhagias *vicaria* alia & *ſecundaria* Hæmorrhagia ex *inſolitis viis* ſuccedente, ſublevet: 11) nec non confirmat illam utilem *Pathologico-Practicam* veritatem, quod

pleni-

plenitudo ſanguinis ad *plurimos* morbos excitandos quadret: & denique 12) viam monſtrat, ad quam *cauſam* in *methodo* Hæmorrhagiis & connexis affectibus medendi *primarius* reſpectus dirigendus ſit, ne in praxi *eximiæ* illæ hallucinationes occurrant, dum audaci & infelici conatu *repente* quælibet evacuationes *ſupprimuntur*, neve artifex in nuda Hæmorrhagiarum *repreſſione* acquieſcat & *ſecurus* ſit.

§. III.

Quemadmodum vero *Hæmorrhagiæ*, in *genere* ſpectatæ, haud affectum quendam *endemium* & *certæ* tantum nationi proprium conſtituunt, ſed à plurimis diverſarum gentium medicis obſervatoribus allegantur, ita mictus cruentus minime *ſelectis* & *particuliaribus* affectibus adſcribendus eſt, ni interdum *ſpecialiſſimæ* quædam & ab aliis valde diſtinctæ cauſæ eundem provocaverint: propterea veteres medici hujus Hæmorrhagiæ diverſam mentionem injiciunt, ſicut *Hippocrates* illius conſonis fermè verbis *Sect.* 4. *aph.* 75. 80. & *Sect.* 7. *aph.* 39. reminiſcitur, in quibus locis *renum* & *veſicæ* affiictionem & ἕλκωσιν ſive exulcerationem accuſat, ſicut *Celſus Lib.* 2. *c.* 7. de calculoſorum urina recenſet, quod *nonnunquam ſanguis, aut cruentum, aut purulentum aliquid cum ea excernatur*: quamvis vero hic mictus cruentus ex *morbida* quadam cauſa provocatus compareat, tamen idem Senex *ſect.* 4. *aph.* 78. mictus cruenti *ſpontanei*, ἀπὸ ταυτομάτȣ mentionem facit, ubi cauſam conjicit in rupturam *venæ in renibus* ortam, ſicut in *Libro de Internis Affectionibus* §. 16. *text.* 2. *ſeqq.* dicit: *dolores fortiter premunt, velut in priore* (ſcilicet renum morbo) *fit autem morbus à labore, cum ruptæ fuerint venulæ ad renem tendentes & poſtea ren ſanguine repletus fuerit: hic ubi hæc patitur, cum urina ſanguinem mingit in principio morbi, deinde progreſſu temporis pus: hic ſi quietem corpore habuerit; celerrimè ſanus erit*: neque oblivioni tradenda eſt *Galeni* animadverſio, quando in explicando *ſpontaneo* mictu cruento perruptionem ſan-

guinis è *venis renalibus* roborare conatur, tunc primarium quasi respectum ad *influentis sanguinis abundantiam* habet: id quod clarius *Oribasius* docet, quando circa hunc *spontaneum* mictum sanguineum *abundantiam* sanguinis accusat: præterea Mictus cruenti multiplex mentio occurrit apud *Galenum* & quasi ex proposito de eodem agitur, in *Libro Galeno adscripto de Renum affectuum dignotione & medicatione cap. 2. & 3.* licet in hisce locis utplurimum hic mictus à *calculo renum* provocatus observetur: ita etiam *Cælius Aurelianus Lib. V. tardarum passionum cap. 4.* disserit: *solent sicut in podice, vel fœminarum sinu aut matricis collo etiam in vesica hæmorrhoides generari, quæ fluorem sanguinis præstant, quibusdam intervallis variatum, quod oportet apprehendere prudentem &c.* quo ipso asserto cum *Galeno* pugnat, qui autumat, quod eruptiones venarum non *in vesica*, sed *in renibus* contingat, uti in *Comment. IV. aph. 78.* asserit, quod impossibile sit, quo influentis sanguinis abundantia in vesica perruptionem causetur: ita cum *Aureliano Archigenes* consentit, quando dicit: *ut statis periodis Menses & Hæmorrhoides, ita & certis vicissitudinibus interdum plethora se effundit per renes & vesicam: hoc fit apertis à natura venis:* quam eandem observationem *Avicenna* de mictu cruento allegat & commendat, dum spontaneum mictum cruentum explicat: *Heurnius* quoad illud ἀπὸ ταυτομάτȣ secundum *Galenum* pro *repentina* & *inopinata* eruptione sanguinis interpretatur, neque pro spontanea Hæmorrhagia explicat: unde mox commentationem suam exorditur: *hic* ἀπὸ ταυτομάτȣ *non significat ultro:* suffecerit vero ex *antiquitate* aliquot selecta & notatu digna *testimonia* de mictu cruento ad propositum nostrum spectantia allegasse.

§. IV.

Præterea haud dissimulare & negare possumus, quod *antiquiores* medici, *plus* quam conducit occupati fuerint, in decidenda & exponenda illa circumstantia, *an* & *quando*

mictus sangvinis vel *è renibus*, vel *è vesica* oriatur: *primus* ad hanc animadversionem occasionem præbuit *Hippocrates*, qui in prædictis locis, ubi de sangvinis mictu loquitur, nunc *renes* nunc *vesicam* nominat: hunc in eadem observatione *Galenus* in *commentario* sequitur, uti in eadem disquisitione laboriosus fuit *Mercurialis*, *Riverius*, *Platerus*, *Lommius*, *Fortis*, *Heurnius*, *Bonetus* multique alii, quæ consideratio vero arti medicæ & usui practico non *primarium* usum promittit, nisi exinde ad *causam* interdum concludere liceat, unde ille præcipuus usus redundat, ne in *aliam* aut *alienam* forte causam culpam conjiciamus & Therapiam dirigamus: interea *signa* illa *discretiva*, quæ ab authoribus allegantur, nonnunquam *æquivoca* sunt, ut facilis aberrandi occasio subministretur, siquidem *partes*, *Urinæ* se-et excretioni dicatæ, in satis arcta *communione* constitutæ deprehenduntur: neque vero ex hac cognitione illa particularis utilitas emergit, quo per *congrua* adminicula ita *directus* aditus ad loca affecta pateat, uti quidem ex enarratis indiciis partes quædam *seorsim* accusantur: eximiam enim vim habent motus illi *spastici*, quo sese per *plures partes* diffundant; sicuti pathemata *nephritica* non raro *vesicam* urinariam in *consensu* trahunt, licet *primarius* fons in *renibus* existat: & licet nonnunquam hæc consideratio in uno alterove casu veritatem contineat, tamen *uberiores* notatu perquam dignæ tales circumstantiæ in eodem affectu occurrunt, quæ absolutè ad *veram* morbi agnitionem & rationalem atque *fundamentalem* tractationem spectant: Interim haud injusta quidem movetur quæstio, *unde* sangvis in *spontaneo* mictu cruento erumpat, quæ disquisitio *eo applicari* debet, quo *nexus* motus *progressivi* & functionum *excretoriarum* magis illustretur: & cum non infimi momenti illa animadversio sit, an & unde *spontaneus* mictus cruentus proveniat, ita non inutilis labor erit, *discrimen* inter illam mictionem sangvineam, quæ *vulgo* describitur, nimirum *simpliciter morbi-*

dam

dam & *noxiam* & inter reliquam, quæ *rarius* explicatur & quæ *tacitè* oritur aut *ſponte* contingit, ſufficienter, *ſolide* atque perſpicuè indicaſſe: etenim in mictu cruento, è *violenta* cauſa provocato, ferme nulla alia conſideratio occurit, niſi quod *læſio continui* adſit, quæ ſangvinem *pasſivo* fluxu emittit, citra alterius reſpectus concurſum; hunc ſangvinis fluxum propterea *ſimpliciter* eſſe *cohibendum* & denique ſolicitudo adhibenda, ne in affecto loco *actualis corruptio* inſequatur, & in hiſce indicationibus utplurimum acquieſcunt practici, niſi interdum *ſopientia* & balſamica intermiſceant: *qualis* methodus vero pro mictu cruento *ſpontaneo* curando *non ſatisfacit*, qui longe alio ordine tractandus eſt, qui ipſe proinde variis phænomenis *diſcretam* ſuam *prærogativam* atteſtabitur: illud vero adhuc hoc loco paucis monemus, ne mictus *verè cruentus* confundatur cum alia *ruffeſcente* & colorata urina, cujus in *Uroſcopia* paſſim mentio occurrit, ſiquidem interdum in pathematibus *nephriticis*, *hyſtericis*, *hæmorrhoidalibus* anomalicis, *colicis*, *febrilibus* &c. urina emiſſa tale ſedimentum deponit, quod facile quisquam *cum ſangvine confundere* poſſet; ſicut ultro obſervationes allegari poſſent, de vino rubicundo cum urina emiſſo, ſangvinem mentiente.

§. V.

Sed quo præſens affectus quoad *circumſtantias* ſuas inclareſcat, placet nunc in ordine *Hiſtoriam* illius proponere: & quoniam *ſpontaneum mictum cruentum digniorem* æſtimamus, quam alterum, qui utplurimum *violento* modo & *pasſivè* contingit, ita primo loco & præcipuo quidem ſcopo illius mentionem faciemus; brevibus tamen reliqui mictus cruenti reminiſcemur: Eſt itaque hic mictus cruentus *ſpontaneus* affectus *rarior*, eapropter tamen *minimè* oblivioni tradendus: & licet *Hæmorrhagiarum* ſeriei accenſendus ſit, tamen inter *vulgo* cognitas *Hæmorrhagias*, ferme *rariſſimam* ſpeciem conſtituit: ipſe vero hic mictus ita conſtitutus

eſt

eſt,ut per *initia* interdum urina leviter ſangvinolenta, *mox ſaturatius* cruenta, denique *copioſius ſangvinea* excernatur, adeo ut in *fundo* vaſis nonnunquam ſangvis *congrumatus* reperiatur,aliquando in reliqua *dilutiori* urina *flocculi* & *filamenta* ſangvinis fluctuent; *rariſſime* vero *omnium nudus* ſangvis citra *urinæ* connubium mingitur: ſubinde hic affectus *certæ ætati* magis proprius eſſe obſervatur,quemadmodum ad hanc obſervationem *Hippocrates* viam præmonſtravit,quando in *Sect.3. aph.31.* ſenibus *affectus renum* & *urinæ* excretionem concernentes adſcribit: ita ſimiliter ex *Hiſtoria Practica* fluit,quod huic Hæmorrhagiæ *ſenes* præcipuè, non valde *effœti* & *decrepiti*, ſed adhuc *mediocriter vegeti*, obnoxii conſpiciantur: maxime etiam hic mictus cruentus evenit *ſenibus animo* adhuc qualitercunque *activis*, ad *patheticas*, imprimis *iracundas*, commotiones pronis, *libidini* adhuc inhærentibus & *venereis* exercitiis deditis; cæteroquin in *diæta plena*, *lauta*, *aromatica*, tenui, *vinoſa*, conſtitutis, interdum compotationibus & *inebriationibus* indulgentibus, proinde *multum ſanguinem* coacervantibus, & utplurimum *plethoram* continentibus, quæ ex *animi*, *diætæ* & *regiminis* erroribus variis *ſuſpectis commotionibus* obnoxia eſt: ratione *temperamenti* in hanc, uti in *aliam* Hæmorrhagiæ ſpeciem, inclinant ſubjecta, quæ ex parte de *ſanguineo*, ex parte etiam de *Melancholico* temperamento participant: quod vero *Sexum* attinet, cui hic *mictus cruentus* familiaris eſſe obſervatur, tunc quidem & *viri* & *fœminæ* hac Hæmorrhagia corripi deprehenduntur, quæ tamen de reliquo *magis viris* familiaris exiſtit: quando interim *fœminæ* vel in *junioribus* annis *narium Hæmorrhagiis* expoſitæ, vel deinde *largius Menſibus* & *Lochiis* purgatæ fuerunt, vel ex abundanti adhuc in *hæmorrhoidales* profuſiones & commotiones inclinant, tunc ad *mictum cruentum* diſpoſitæ eſſe conſpiciuntur; præprimis ſi in *diæta plena* & *lauta* verſantur, ſi *animo* ſunt *excitatiores* & agiliores, ſi *patheticis* commotionibus frequentioribus obnoxiæ ſunt, ſi fre-

quen-

quentioribus *plethoræ* suæ *commotionibus* subjiciuntur, si desuper in *matrimonio libidinoso* versantur, si *potui spirituoso* indulgent, si in inconveniente regimine versantur, si antea frequentia *puerperia* expertæ sunt, quæ singulæ circumstantiæ ad mictum cruentum in fœminis excitandum contribuunt: tanto magis in utroque sexu, sub prædictis circumstantiis mictus cruentus ingruit, quando *remedia subtilia*, *sulphurata*, *oleosa*, crassiora & *copiosiora aloëtica* & *helleborina*, *elixiria* vulgaria, communia *antinephritica*, *acriora carminativa*, *volatilia* & similia ingeruntur.

§. VI.

Eximiæ vero dignitatis & utilitatis hæc est consideratio, quæ in *Historia Practica* mictus cruenti probe observanda & inculcanda, quod videlicet *hic mictus* facilius & *usitatius* negotio *hæmorrhoidali in utroque sexu* sese immisceat & quidem si vel *Hæmorrhoides*, maximè vero *externæ* antea *fluxerunt*, nunc vero *perturbatæ* aut *suppressæ* sunt: vel si nunquam ad *actualem* quidem perruptionem pertigerunt, attamen *moliminibus* quibusdam *hæmorrhoidalibus*, *hypochondriacis*, *ischiadicis*, *podagricis*, *arthriticis vagis*, *gonagricis*, *nephriticis* sese prodiderunt, sicuti D. D. Præsidi talis casus constat, ubi vir ultra sexagenarius vegetus adhuc in diæta bona atque lauta & in mobili vitæ genere constitutus, in junioribus annis aliquandiu hypochondriacis & spleneticis pathematibus affligebatur, quæ post mutatum vitæ genus è sedentario in mobile & agile evanuerunt: post plures annos nephriticis simplicioribus cruciatibus vexabatur, qui post calidiorum remediorum usum in arthritiden vagam & afflictionem ischiadicam convertebantur, interea etiam nonnunquam dolores lancinatorias in exitu ani & molestias tenesmodeas persentiebat: hic posteaquam sexaginta annorum ætatem superauit, liberalius vino generosiori indulgere cepit, ex communi illa persuasione, quod vinum sit Lac senum: cum vero aliquando in feriis quibusdam nuptialibus, quibꝰ ut fidus comes aderat & saltatione & vin

ul

usu excessum commiserit, post aliquot dies actualem mictum cruentum perpessus est, quocum multam sangvinis copiam profudit: in quo viro *nunquam* Hæmorrhoides *fluxerunt*, præcurrerunt tamen *molimina* hæmorrhoidalia, & insecutus denique est verus & *perfectus mictus cruentus*: similem casum allegat *Illustris Stahlius in Pathologia* ubi de mictu cruento agit, de quo patiente refertur, quod post mictum cruentum & *aliquot post septimanas*, *sponte fluxerit sangvis per hæmorrhoides legitimè cum sedibus*: ita etiam reminiscitur *D.D. Præses*, quod à prælaudato Celeberrimo D.D. Stahlio casum de Viro octoagenario perceperit, qui quidem nullas actuales excretiones hæmorrhoidales expertus erat & tamen frequentius mictu cruento laborabat: neque indignam æstimat D.D. Præses illam Historiam, quam ex ore Viri prælaudati audiuit, quin ipsius Celeberrimi Viri verbis ingenuè eandem recenseat: *Fœmina in adolescentia sua vehementibus narium Hæmorrhagiis obnoxia, cum post* matrimonium contractum peperisset & aliquot infantes,, in lucem edidisset, bene habuit; postquam autem parere,, desiit, ceperunt ipsi ingruere Cephalalgica vehementissi-,, ma pathemata, quæ exhibitis medicamentis fortiter pur-,, gantib9 colocynthiacis simulet semel desiere; incepit verò,, inde coxendicum & ossis sacri Ischiadicis spasmis & fixis,, quasi doloribus corripi: huic fœminæ licet Menses me-,, diocriter successerint, nihilominus impendere evacuatio-,, nes hæmorrhoidales, succurri tamen ipsi aptis remediis,, ubi per unum & alterum annum ab ejusmodi malis libera,, vixit: cum vero ex animi commotionibus, metu & mæsti-,, tia agitata esset & in media sui corporis pessima dispositio-,, ne novo mœrore cogeretur iter turbulenta tempestate su-,, scipere ibi incidit in copiosum mictum cruentum, sed re-,, vera magis evidenter hæmorrhoidalium excretionum vi-,, carium fluxum, (quandoquidem tum temporis Menses in,, magna confusione & inæqualitate defectu potius, quam,, justo successu ex variis prægressis animi commotionibus,,

 erant,)

erant,) restituta vero à fluxu sangvinis per urinam, post,, aliquod tempus fluxum hæmorrhoidalem experta est,,, quamuis illo tempore non excederet ætatem 36. anno-,, rum: quibus casibus, qua fieri potuit breuitate *communionem mictus cruenti* cum negotio *hæmorrhoidali* indicavi.

§. VII.

Quando hæc Hæmorrhagia *semel* in aliquo subjecto obtigit, tunc *illum morem* servat, quo *reliquæ* Hæmorrhagiæ præditæ sunt, nimirum, ut *frequentius* recurrere soleat; sub quolibet vero recursu *insolentiorem* & *immoderatiorem* indolem atque gradum assumit, quod vitium utplurimum vicariis & secundariis Hæmorrhagiis commune est: quidquod attentione digna est illa circumstantia, quod interdum hic cruentus mictus *certis periodis* erumpat & quidem quando ex *Hæmorrhoidibus suppressis* ortum traxit, ubi hic mictus *illa tempora* servat, quibus *ante hac Hæmorrhoides* fluere sveverunt; quam circumstantiam cum *vomitu cruento* communem habet, sicut enim hic vel cum *moliminibus* vel cum actualibus *eruptionibus* in *fœminis* interdum *menstruos* terminos comitatur, adeoque *Menses turbatos vicario* actu sublevat, ita etiam *mictus cruentus* in illa tempora successivo suo *recursu* incidit, quibus unquam vel *Hæmorrhoides* fluere, vel *motus hæmorrhoidales* intensius urgere sveverant; quæ ipsa consideratio tanto magis nostram animadversionem confirmat, quod hic *spontaneus* mictus sangvineus cum *Hæmorrhoidali* processu non levem & superficiariam *communionem* habeat; & hæc *stataria* recursio hujus Hæmorrhagiæ, non aliter obtingit, nisi in *subjectis* paulo *continentioribus* & ubi antehac hic mictus paulo *moderatius*, lenius & facilius successit, quemadmodum contra *immoderatiores* & *impetuosiores* prosecutiones hujus Hæmorrhagiæ *exactam* rationem temporis *fallere* solent: quo magis vero talis mictus *periodicè* recurrere solet, eo magis *contumax* evadit, imo eo majorem *sensibilitatem* assumit, ut cum maxima *modestia* tractari debeat, aliàs *peri-*

culosi affectus inseqvuntur, ut *tabidi, hectici, hydropici, atrophici*, similesque: longe certiorem enim *perniciem* ininatur *repentina* & *simultanea* hujus *statarii* mictus *suppressio*: proinde etiam hæc Hæmorrhagia in subjectis *valde plethoricis* & *immoderatior* & *copiosior* existit; ad quem *acerbiorem* successum disponit, si *præcedentes* Hæmorrhoides, quæ *liberalius* fluxerunt, *repente suppressæ* sunt, ubi cum impetu & vehementiori gradu *vicarii* hi motus in partes, urinæ se & excretioni dicatas ruunt; in *fæminis* hic mictus paulo *moderatior*, lenior & *temperatior* esse observatur, neque *ita ominosus* est, ac *in viris*, quoniam illæ in negotio *hæmorrhagico* administrando *magis exercitæ* sunt, neque è *qualibuscunque anomalicis* successibus tam facilè & graviter alterantur, neque *tam subito* in *periculosas* alterationes conjiciuntur: eo *periculosior* vero *eventus* è mictu cruento metuendus est, quo magis prægressis motibus & fluxibus *hæmorrhoidalibus hæreditaria* dispositio conjuncta est; quid quod *solenniores* & *acerbiores* apparatus hanc Hæmorrhagiam comitantur, si sangvis est *admodum abundans*, si per reliquam vitam & *narium Hæmorrhagiæ* & *Hæmorrhoides*, aut *largiores Menses*, nec non *copiosa* & *frequentia Lochia* præcesserunt: *insolentiores* etiam sunt commotiones, quæ hunc mictum *comitantur*, quando aliqualis *spissitudo* in sangvine adest, ob quam *eruptio* sangvinis non modo *difficilior*, sed & *ultima expressio* impeditior, *molestior* & magis dolorifica est: unde in subjectis *melancholico-sangvineis* majores, contumaciores & *intricatiores dolores* occurrunt, quam si subjecta de *cholerico* temperamento participent, licet hujus Temperamenti concursus *copiosiorem* sangvinis mictum inferat.

§. VIII.

Non indignus labor erit, si hanc *communionem*, quæ inter *Mictum cruentum* & *Menses* atque Hæmorrhoides intercedit, aliquot practicis testimoniis confirmemus; & licet hæc animadversio in præcedentibus jam inculcata & *aliquot* casibus illustrata & comprobata fuerit, tamen pro ube-

riori hujus negotii commendatione plura testimonia producemus: ita *Riverius Lib. VI. cap. 13.* dicit: *quæcunque mictionis cruentæ aliæ causæ tradi solent, ut renum imbecillitas, simplex eorum apertio, jecoris infirmitas, plethora, Mensium aut Hæmorrhoidum suppressio, raræ adeo & insolentes obtingunt, ut vix unquam solæ mictionem cruentam prætulerint:* non minus *Hoechstetteri* testimonium meretur, quo allegetur, quando in *Scholio Cas. 2. Dec 1.* ita eloquitur: *fundit sæpius hæc Hæmorrhois* (nimirum *hæmorrhoidalis externa*, quæ *ramum ad finem habet, qui in viris & quidem surculis majoribus in vesicam ejusque cervicem exporrigitur C. Bauhino Lib. I. Anat. c. 20.* uti paulo ante dicit) *sangvinem in vesicam, ut absque vitio renum mingatur, quod in nobili quodam licuit videre & non infimæ famæ medicus de se hoc mihi recensuit:* quem locum etiam *Hoeferus* allegat in *Hercule Medico Lib. 3. cap. 4.* præterea *Mictum Cruentum* ex *Hæmorrhoidibus suppressis* recenset *Forestus Lib. 24. obs. 9. conf. Aetius Lib. XII. cap. 3. Hildanus Cent. 2. obs. 11. sic Paræus observ. Chirurg. Lib. 16. c. 51.* disserit: *hujus symptomatis* (nimirum urinæ cruentæ) *causæ plurimæ esse possunt, scilicet sangvinis immoderatior in corpore collecta copia, quæ solenni & periodica per Menses aut Hæmorrhoidas suppressa evacuatione cursum nunc ad renes & vesicam inflectit:* quo ordine illam exactam satis sententiam *Nesteri* proponimus, quam *D. D. Præses in Disputatione de Insolitis Hæmorrhoidum viis* §. 8. enarravit, quæ in *A. N. C. Dec. I. An. 8. obs. 23.* occurrit: *his omnibus perlustratis in eam sententiam sum adductus, salvo tamen aliorum judicio, ob suppressas Hæmorrhoides ordinarias mictionem hanc sangvinolentam oriri, ex vena hæmorrhoidali externa, quæ ramum ad finem habet, qui in viris & quidem surculis majoribus in vesicam ejusque cervicem exporrigitur* (hæc sunt verba Hœchstetteri) *& quia plerumque dolores in ima pube & circa vir-*

gam, affectum in collo vesicæ esse, per anastomosin venarum propter loci angustiam grumos hos oblongos excerni, uti apud C. Bauh. Lib. I. Anat. c. 20. & Hipp. 4. Aph. 75. & 78. Nicol. Serm. 5. tr. 10. c. 19. & Savanorol. tr. 6. pract. c. 19. rub. 19. Cælius Aurelian. de chronic. pass. c. 4. Moeb. Epitom. Instit. med. c. 9. p. 350. Fundam. Medicin. physiol. c. 17. p. 423. Fabr. Hildan. Cent. 2. obs. 11. & alios satis abunde videre est: hanc communionem *Mictus cruenti* cum *Hæmorrhoidibus* indicat etiam *Heurnius Comment. in Sect. 3. aph. 75. Raym. Joh. Fortis Tom. I. Cent. 4. obs. 15. Hollerius de morbis intern.* non minus hanc observationem de mictus cruenti ortu ex Hæmorrhoidibus suppressis allegat *Wedelius in Compendio Praxeos Clinicæ Lib. 3. cas. 40.* præterea *Aretæus Lib. 4. c. 3. diuturn. morb.* mictum sangvinis periodicum cum *Hæmorrhoidibus* comparat: *conf. Schenkius Lib. 3. obs. 1. de sangvinis mictu:* quæ singula testimonia hunc *consensum Hæmorrhoidum* cum *mictu cruento* obfirmant.

§. IX.

Cum hisce observationibus & testimoniis adhuc varia alia cohærent; quibus merito illam annotationem practicam jungimus, quod non pauci medici ad *mictum cruentum Hæmorrhoidum apertionem* commendaverint, è quibus iterum tantum aliquot *testimonia* in medium protulisse suffecerit: ita *Schenckius Lib. 3. de Hæmorrhoidibus obs. 7. sanguinis mictum Hæmorrhoidum apertione curatum* recenset: perinde *Ballonius Paradigm. 71.* similem observationem commemorat: non minus *Riverius Lib. 14. c. 4.* ad mictum cruentum ex *plethora* ortum *Hæmorrhoidum apertionem* commendat: *conf. Hœchstetterus Dec. 1. Cas. 9. in schol. p. 93. Schenkius de Mictu sanguinis Forestus lib. 24. obs. 9.:* quo loco adhuc generalia quædam judicia annectimus, dum *Riverius, Platerus* & *Bonetus* Mictum cruentum *à Plethora* generari asseruerunt: huc spectat judicium *Hollerii de morb. intern.* dum dicit: *quibusdam naturis eodem modo per vias urinarias*

sanguis excernitur, quo aliis per nares, venas sedis aut vomitum: ita certo respectu mictum cruentum, cum sanguinis *abundantia* cohærentem describit *Amatus Lusitanus cent. II. cur. 93.* ubi *mictum cruentum criticum in juvene sanguinea febre laborante* recenset. Sicut vero mictus cruentus cum *Hæmorrhoidibus perturbatis* cohæret, ita etiam cum *Mensibus vitiosis* communicat, ita ut *vicariam* menstruam purgationem constituat, cujus observationis passim etiam varia testimonia occurrunt, è quibus etiam aliqua pro *confirmatione* utilis hujus considerationis proponemus: ita *Forestus* in loco citato describit, mictum cruentum ex *Mensium suppressione* ortum, qui post sectionem venæ *in talo* cessavit: huc pertinet *obs. 10. Lib. 3. Schenckii de Mictu cruento:* conf. *Brassavola Comment. ad aph. 75. Lib. 4. Schenckius Lib. 4. de Menstruis obs. 7. Zacutus Lusitanus H. M. P. Lib. III. Hist. 5. p. 455.* dicit: quod *Menstruis retentis, Menstrua cum urina misceantur:* & *Lib. II. Hist. 139.* eloquitur: *ob hæc provida natura in animantis commodum superantem sanguinem expellere satagit:* & *Salmuthus Cent. 3. obs. 36. Menses gravidæ per urinam* describit; neque pluribus opus erit testimoniis, cum aliæ observationes, quæ *insolitas Mensium vias* exponunt de hac animadversione practica uberiores confirmationes subministrabunt; unicum adhuc *Hœchstetteri* testimonium addimus, qui *Dec. I. cas. 9. in scholio* his verbis utitur: *Platerus citato sæpius loco sanguinis mictum loco menstruorum observavit: quod & nos in puellis, quibus ætas menstrua negavit, observavimus, ut cruentas emiserint urinas:* non minus *Vidus Vidius de Curat. Membr. Lib. X. c. 27.* dicit: *Mictus cruentus interdum Mensium vices supplet:* conf. *Bonetus in sepulchret. Anat. Lib. III. sect. 28. obs. 11. Hollerius de mictu cruento:* Denique hoc loco annotare lubet illam observationem, quod licet *utplurimum* Mictus cruentus *suspectus* sit, tamen exempla constent, *innoxii* hujus sanguinei fluxus: ita *Salmuthus Cent. 3. obs. 47. Mictum cruentum periodicum* enarrat,

qui

qui quasi *menstruus* tam diu *innoxius* fuit, qui quam primum *suppressus* fuit, *mortem* intulit: ita in *A. N. C. Cent. 1. & 2. obs. 23. in append. Mictus sanguinis copiosus sine detrimento sanitatis*, recensetur; quæ singulæ hactenus commemoratæ observationes, longe *altioris* indaginis & dignioris momenti sunt, quam *violentæ* illæ hujus Hæmorrhagiæ provocationes.

§. X.

Quod vero reliquas circumstantias ad Historiam hujus Mictus cruenti pertinentes attinet, tunc in subjectis quibus *libere* evenit, *tacite* succedit & sine singulari *incommodo*, nisi insolita quædam corporis *lassitudo*, extremitatatum *horripilatio*, *appetitus* dejectio, *somni* perturbatio, *animi* languor, *alvi* variatio concurset, profluit tunc urina sanguinolenta: aliquando præcurrunt & concurrunt molestiæ & *dolorificæ* sensationes & quidem vel *spasticæ* tractiones, tensiones & constrictiones in *lumbis* vel concurrentes mitiores *ardores* in regione *intimiori* lumbari: coincidit nonnunquam insolita *exæstuatio* corporis sive *phlogosis alternans*, cum sensibiliori *horripilatioue* tum *extremitatum* corporis, tum regionis *lumborum*: corripit *anxietas* cum *frigido sudore*; affligit eximius *torpor* in corpore, maxime in *inferiori* regione, *animus* est *inquietus* & languidus, *respiratio* quantisper *angustatur*, *alvus* quandoque retinetur, *pulsus* est durus & frequentior, appetitus *dejectus* est, concurrunt aliquando plures *spasmodicæ* & *semi colicæ* commotiones, *vultus* quantisper *pallet*, maxime vero *oculi* concidunt, *vires* successive *dejiciuntur*, nonnunquam *nausea* & *vomibunda* commotio corripit, *somnus inconstans* est & *turbulentus*: ipse vero sanguinis mictus aliquando *diutius* durat, interdum post *breviorem* moram cessat: *quo diutius* vero continuat, eo *graviora sunt* conjuncta pathemata: experiuntur subjecta sub *copiosiori* affluxu sanguinis aliquem *stimulum* ad *mingendum*, & *sub mictione* nonnunquam *mole-*

stias

ſtias percipiunt, dum non ita *prompte* excretio ſuccedit: tanto *major moleſtia* affligit, quando ſanguis in urethra *congrumeſcit*, ubi ſub aliquo moleſto & incommodo *niſu* ſanguis *exprimi* debet: & ita *ſuccesſivè* hic mictus progreditur, ut modo ſub *breviori*, modo ſub *longiori* mora ſatis magna copia ſanguinis effundi queat: habent interea etiam conjuncti dolores ſua *intervalla*, ut ſub tali quaſi mictus cruenti paroxyſmo per aliquot horas dolor mitior, alibi iterum acerbior reperiatur: quod ſi etiam contingat, ut in primis ſuis *initiis* hic mictus mox *incongruè* obruatur, tunc *dolores* fiunt *inſolentiores* & vehementiores: aliqui in regione *pectinis* experiuntur *dolores* tales *tenſorios*, tractorios, *ſpaſticos*, *ardentes*: & quando contingit, ut ſanguis *in urethra congrumeſcat*, tunc aliquando urinæ excretio *difficilis* redditur, donec *grumi* tales *extrahantur*, qui, ut ſupra indicavimus figuram *oblongi vermis* continent: aliàs vero color ſanguinis non nimium mutatus eſt, ni urina *acrior* & magis *ſalſa* fuerit, unde modo *lateritius* modo *turbulentus* color in urina ſanguinolenta conſpicitur: quo *activioris* naturæ fuerint ſubjecta, & de *cholerico* temperamento participaverint, eo *copioſior* non modo, ſed & eo *impetuoſior* & *doloroſior* eſt hic mictus ſanguinis: interdum etiam cum hac Hæmorrhagia *immoderatius* ſuccedente *febrilis* quædam commotio concurrit: proinde hic mictus *aliquoties* ſubjecta corripit, *rarius* vero *ſine* abſoluto *incommodo* aut damno decurrit: in *graviori* affectu *angor* animi & *præcordiorum anxietas* certius concurrit, & poſt immoderatiorem talem mictum utplurimum ſatis diu corporis *languor* remanet, una cum *pallore* faciei.

§. XI.

Sed ne promiſſi noſtri obliviſcamur, paucis adhuc *illius mictus cruenti* mentionem injiciemus, qui ex aliqua *violenta* & *impetuoſa* cauſa provocatus obſervatur, ſed qui in *comparatione* ad mictum cruentum *ſpontaneum*, cujus ha-

ctenus mentio facta fuit, *minoris* & *indignioris* considerationis & æstimationis est: *frequentius* itaque practici reminiscuntur *illius* sanguineæ mictionis, quæ vulgo *calculo acuminato* imputatur, à quo actualis talis *læsio* derivatur, quando ipse per *spasmodicas* commotiones *renibus* fortius *apprimitur*; qualis *cruentatio* verò haud *ita frequens* est, ac quidem vulgo reputatur, neque etiam *ita facilè* evenit, nisi *subjecta* fuerint *magis plethorica* & intensioribus sanguinis *commotionibus* obnoxia; tanto *facilius* tamen in ejusmodi *exacerbatis calculosis* pathematibus mictus hic sanguineus provocari potest, quando in talibus subjectis juxta *communem* methodum remedia *acriora*, concentratiora, *oleosa destillata*, aut *volatilia*, *diuretica*, *lithontriptica* & *balsamica* adhibentur, quæ etiam ad *hanc Hæmorrhagiam provocandam* perinde *efficacia* sunt, licet calculus *non asperior* existat: accidit aliquando & quidem ante decennium hic loci *D. D. Præsidi* in honesta fœmina hic casus, quæ frequentius verè *calculosis* afflictionibus laboravit: hæc graviter aliquando *doloribus* calculosis vexabatur, donec post *idoneorum* remediorum usum *aliquot* calculi excreti fuerint; sed cum postea non ita *confestim* exoptata sanitas redierit, quin potius, uti calculi mos est, aliquales *imbecillitates*, moderatæ tamen continuaverint, ita impatiens & inquieta fœmina clanculum inscio D. D. Præs. ex consilio & suasu consanguineorum Lipsiensium famigerato quodam spiritu antinephritico utebatur, post cujus biduum usum in gravissimum mictum cruentum incidit, accessit febris, complicabantur affectus aliàs consueti hysterici, status erat in extremo: salvata tamen fuit sub divina benedictione patiens hæc fœmina & cum imposterum melius & accuratius methodo à D. D. Præside præscriptæ obtemperasset, non modo post superatum hunc mictum cruentum, nullum calculum dejecit, sed diu a calamitate calculi immunis vixit: est vero *talis* mictus cruentus admodum *confusus*, dum partim *junioribus*

subjectis evenit, neque æque ut *spontaneus certæ* ætati proprius est, partim *tales periodos* haud servat, ut *prior* solet; subindè etiam *multi calculosi atrocissimis* cruciatibus detinentur, quibus *sine diureticis* tractatis, *nullus* talis cruentus mictus obtingit: multum itaque ad *concitandum* hunc mictum cruentum in *calculosis* disponunt *prædicta remedia*, ut propterea interdum præter meritum *acuminati* & asperi calculi accusentur: *comitantur* vero mictum cruentum, *hac ratione* provocatum, satis *exquisiti* & sensibiles *dolores*, concurrentibus *ardoribus internis* & nonnunquam plane *febrilibus* commotionibus, *agrypniis*, magna *virium dejectione*, similibusque suspectis aliis pathematibus: *sanguis* qui in *tali* casu effluit est interdum *floridus* & fluidus, nisi urina valde *salsa* hunc colorem alteret: mictus ipse etiam subinde valde *impetuosus* & *copiosus* est, imo in *futurum* facilè iterum *repullulat*, tanto magis si remedia *talia acriora* denuo ordinantur: donec tandem *hectica* quædam ægritudo huic tragœdiæ finem imponat.

§. XII.

Præterea *coacto* & *violento* quodam modo mictus cruentus provocatur, imprimis in subjectis *plethoricis* & de sanguine, *orgasticis* commotionibus obnoxio & cum *sero*, *sulphureo* subtili largius commixto, participantibus, per *diuretica potentioris* & sensibilioris efficaciæ, paulo magis vero *præcipiti* & præsentaneo effectu per *cantharidum* usum, præcipuè in subjectis *tenerioris* & *sensibilioris* animi & corporis: quo loco neque *volatilium* remediorum usum excludimus: ita contigit aliquando D. D. Præsidi hic casus, ubi studiosus sangnineo-cholerici Temperamenti valde plethoricus vinosis compotationibus deditus, posteaquam sese ad instantem talem compotationem ex persuasione alterius commilitantis heluonis cum usu Spiritus C. C. præparaverat & deinde strenuè potaverat, in talem mictum cruentum satis copiosum incidit, quem olim sub satis frequen-

quentibus compotationibus nunquam expertus fuerat: ita nonnunquam accidit, ut *juniora plethorica* subjecta, imprimis *vini* potui adsueta, *venereis* exercitiis immodice indulgentia, aut frequentius *aphrodisiaca* remedia usurpantia, hanc mictionem sanguineam experiantur, non modo cum *doloribus tensoriis* & sensibilius strictoriis, sed & cum notabili *virium decremento:* excitatur nonnunquam mitior mictus cruenti gradus in *junioribus* subjectis, *plethoricis* & ad *stranguriam* dispositis: sicuti talis casus *D. D. Præsidi* constat de juvene 24. annorum, qui æstivo tempore aliquoties post cerevisiæ non bene defæcatæ ingestionem, sub intensiori stranguria urinam sanguinolentam evacuavit, citra tamen urgentem alium dolorem & citra consequentem noxam: non minus exempla constant, ubi *plethorica* subjecta post assumptionem *remediorum* sanguinem *turgefacientium* sanguinem minxisse observata sunt: talis Historia constat *D. D. Præsidi* in puella, quæ imminutum Mensium fluxum corrigere tentavit cum oleo sulphuris therebintinato & larga myrrhæ copia, unde non modo largum Mensium fluxum, sed & mictum cruentum experiebatur: ita in *A. N. C. Dec. II. An. 8. obs. 121.* recensetur *Mictus cruentus ab abusiva assumptione Myrrhæ* provocatus: sic Historiæ prostant de mictu cruento ab *immodica equitatione*, à *contusione* & allisione regionis *pectinis* & *lumborum*, à nimia *alvi obstructione*, à *partu difficili*, à *vermibus*, ab *ulcerationibus vesicæ* urinariæ, à nimia *pollutione nocturna*, à nimis frequenti *spermatis ejaculatione* &c. orto, ubi non raro, quotiescunque ita excitatus mictus cruentus contingit, *dolorificæ* quædam molestiæ concursant; aliquando etiam talis Hæmorrhagia *diutius* durat, quandoque *brevius* decurrit, utplurimum etiam *alterationes* quædam tam in *animalibus*, quam *naturalibus* functionibus conjunguntur, eoque magis subjecta affligunt: & talis quidem mictus cruentus *hisce* modis concitatus, nullam habet *relationem* ad *exquisitam ætatem*, nisi

ſtatus *plethoricus* majorem diſpoſitionem ad eundem habere deprehendatur & *juniores* paulo *facilius*, quam *Senes* eidem ſubjici videantur: neque etiam experientia medica repugnat aut reclamat, ſed potius exemplis quibusdam obfirmat, quomodo ex *prædictis* cauſis ſuſcitatus *mictus cruentus*, ni in *futurum* ſubjecta probe ſibi circa easdem moderentur, *frequentius* non modo recurrat, ſed & *periculoſiora* conſectaria introducat: quæ ſufficiant de mictu cruento *coacto*, *paſſivo* & *violento* in medium protuliſſe.

§. XIII.

Poſteaquam hactenus potiora momenta, quæ ad *Hiſtoriam* mictus cruenti ſpectant recenſuerimus, placet nunc aliquot animadverſiones annectere, quæ *Prognoſin* præſentis Hæmorrhagiæ attinent: ſervabimus iterum hunc ordinem, ut *priori* loco aliqua de mictu cruento *ſpontaneo*, poſteriori vero de *coacto* ſive *violento* proponamus: quod itaque mictum cruentum in viris *ſenioribus* attinet, tunc de eodem *Illuſtris Stahlius in Pathologia ſua* hoc teſtimonium perhibet: *Qui in mictum cruentum talem devolvuntur ſenes, vix diu ſupervivunt, niſi quidem admodum commode atque libere hic fluxus ipſis ſuccedat*: & licet hoc etiam ita contingat, tamen nunquam ab *omni* incommodo & periculo liber eſt, quin vel *ſucceſſivè ſiniſtra* pathemata conſequantur: tanto citius vero atque *gravius* damnum imminet, quando hic mictus cruentus vel *immodicus*, impetuoſus & copioſus eſt, vel *frequentius* recurrit, ubi citius ſuperveniunt affectus *hectici*, *tabidi*, *hydropici*, *œdematoſi*, &c. neque etiam bene cedit negotium, ſi hæc Hæmorrhagia *confeſtim ſupprimitur*; qualem ſuppreſſionem preſſo pede ſequuntur, *Tabes*, *Maraſmus*, *atrophia*, *hectica* & quidem in ſubjectis ſiccioribus, *œdemata* vero & *aſcites* in humidioribus; quales tumores hydropici *nihilominus tenaciter* perſiſtunt & increbeſcunt, licet hic mictus cruentus *denuo recurrat*: & quando œdematoſi tales tumores *repelluntur*, tunc affectus *aſthmatici*,

suffocativi, hectici &c. consequuntur: quando hic mictus cruentus in *senibus* admodum *plethoricis* & activioris indolis *repente* supprimitur, tunc nonnunquam superveniunt *internæ inflammationes*, aut affectus *apoplectici*, *hemiplectici* &c. cum *lethali* eventu: quando cum mictu cruento *febris* concursat, *malum* est indicium, quod ex *Hippocrate* allegavit *Lommius observ. medicin. Lib. 2.* ubi de *Mictu sanguinis è renibus* agit: quando *post* mictum cruentum *leniorem prægressum*, *tempestivè* fluxus *hæmorrhoidalis* erumpit, *bonum* est indicium: *haud* vero aliquod emolumentum affert *hæmorrhoidalis* fluxus, quando post prægressum *immoderatiorem* mictum cruentum serius & quidem si nunc affectus *tabidus* consecutus est, occurrit: in *fæminis* hic sanguinis mictus, neque *ita cito*, neque *ita facile* tam *eximiè* periculosos affectus consequentes involvit: neque etiam rationi atque experientiæ repugnat, quod mictum cruentum tam *spontaneum* quam *coactum* minus providè tractatum *verus calculus*, *ulceratio renum* aut *vesicæ*, *tabes* & *hectica* consequantur, sub quo statu dehinc successive non modo varia *diureseos impedimenta* ingruunt, sed & materia *saniosa* cum urina excernitur: quando in mictu cruento *fortiora adstringentia* repente adhibentur, tunc eadem *lethalem ischuriam* post se trahere possunt: quo magis post mictum cruentum *virium dejectio*, *appetitus defectus* & *somni perturbatio* continuat, eo *citius noxii* effectus & affectus prægressum illum mictum consequuntur: quod vero *coactum* mictum cruentum concernit, tunc ille *tota* sua *indole* & ratione *absolute* quidem *morbidus* est, qui si non provide tractatur, æque *internas ulcerationes* post se relinquit: quid quod evenit, ut in futurum è *leniori* causa *provocari* queat & indolem *spontanei* mictus cruenti referat & simulet: quando vero & *violentus* hic mictus *immodicè supprimitur*, tunc varia incommmoda, ordinariam *diuresin* turbantia, superveniunt; interim hic mictus neque *tam promptè* periculosus

 evadit,

evadit, neque è *mediocri* adstrictoria repressione *tam facilè* in deteriorem statum ruit: evenit vero ut hunc mictum sanguinis *semel cohibitum* interdum in futurum affectus *nephritici*, *ischiadici*, *arthritici*, & similes consequantur: quod etiam de mictu cruento *spontaneo* valet, si ratione consecutionum in mitiori statu persistit, ubi eundem in futurum affectus *nephritici*, dolores *coxendicum arthritici*, *arthrico-rhevmatici*, *podagrici*, *gonagrici*, excipiunt: *conf. Excell. D. D. Stahlii Disp. de Metaschematismo Morborum*: & hæc quoad *Prognosin* mictus cruenti notanda sunt.

§. XIV.

Traditis hactenus illis circumstantiis, quæ ad *Historicum* conspectum mictus cruenti spectant, nunc ad *Pathologiam* præsentis affectus nos convertimus & in illa exponenda iterum *primo* loco animum applicamus ad *spontaneum* mictum cruentum, de hoc vero mox in limine hujus *causalis* deductionis asserimus, quod *naturæ actus* sit, neque à causis *mere physicis* pendeat, in qua ratione hic *spontaneus* mictus sanguinis, æque ac *aliæ Hæmorrhagiæ* spontaneæ à *violento* & *coacto* sanguinis fluxu *formaliter* & *essentialiter* discrepat: etenim dum hic mictus *tacitè* oritur, ita vix facile ad *fortuitas* & *turbulentas* causas provocare integrum est; & licet *acrimoniæ corrosivæ* in sanguine, *vasorum* nimiæ *inturgefactionis*, motuum *spasmodicorum* accusatio facilis sit, demonstratio tamen in mictu *spontaneo* non parum difficilis existit: quod vero hic affectus *à natura* pendeat, sequentes rationes evincunt: 1) quod *certæ ætati* proprius sit, neque ita *confuse* & *promiscuè* corripiat: 2) quod *certis periodis* recurrat: 3) quod *talibus motibus* absolvatur, quibus alias *salutares* in usum corporis cedentes *excretiones* administrantur, qui motus non *tumultuari* & confusi sunt, sed proportionati & effectui respondentes: 4) quod per *animi pathemata* invitetur, augeatur & sustentetur: 5) quod *spontè*, & *tacitè* oriatur, neque à causa *communi impellente* provoce-

 tur:

tur: 6) quod *alteri* cuidam *salutari* Hæmorrhagiæ sive *difficulter* erumpenti, sive *suppressæ vicaria* quadam ventilatione succurrat & inserviat: 7) quod qualitercunque *turbatus* atque *suppressus* in *deteriorem* statum delabatur, æque ac cum *salutaribus* quibusdam Hæmorrhagiis succedit: 8) quod nonnunquam cum *talibus* Hæmorrhagiis *alternet*: 9) quod per causas *ex animo* profluentes & *citius* & *efficacius* promoveatur: 10) quod *hæreditaria dispositione* interdum nitatur, quæ frustra *corporeis* causis adscribitur: 11) quod cum *similibus* affectibus conspiret, quales perinde cum *salutaribus* Hæmorrhagiis *cohærere* solent & denique 12) quod per *talia auxilia* hic affectus præoccupetur, quæ magis per *ordinationem motuum naturæ* conveniunt, quam per qualemcunq; *operosam correctionem corporis* & *qualitatũ corporearũ*; quæ considerationes eo præcipue quadrant, quo *passivum* mictum cruentum ab hoc *naturæ actu* discernamus, siquidem hic *spontaneus* sanguinis fluxus ad *certum scopum* directus est, cum alter, *violentus* videlicet & coactus ille mictus *confusus*, turbulentus & omni respectu *perniciosus* sit; & licet *quidam talis* mictus à *morbida* causa pendeat, tamen non firma est conclusio, quod propterea *omnis talis* mictus cruentus *passivus* sit, cum constanter actiones *spontaneæ* ab actibus & effectibus *violentis* & coactis discerni debeant; ob id æque *falsa* esset assertio, quando *spontanearum* operationum existentiæ negarentur, quia etiam *violentæ* & coactæ occurrunt: quemadmodum enim totum corpus sub *potestate naturæ* est, ita frustraneum esset eidem denegare *energiam transferendi* suam *intentionem* in *renes* præcipue, aut *in vesicam*; sicut è *diversis* corporis *regionibus sponte*, *tacite* & libere imo satis sæpe & satis evidenter cum eximia *euphoria* sanguis eliminatur, qualis operatio haud accurate *nude physicis* potentiis attribuitur; & cum hæc Hæmorrhagia non aliunde, quam *à natura* pendeat, eapropter *motus*, quibus mediantibus illa administratur,

tamen

tamen ſub reliquo *tacito* & *ſpontaneo* decurſu, ita ſunt comparati, quo *fini*, qui per Hæmorrhagiam intenditur & *energiæ* naturæ competant.

§. XV.

Aſt cui *ſcopo* magis *quadrare* videtur hæc ſanguinis excretio, niſi ut *ſanguis abundans* & *moleſtus* exoneretur, quem finem *alias* natura proſequitur; quare cum hoc mictu cruento *ſpontaneo* omnes *illæ* circumſtantiæ coincidunt, quæ ad *plethoræ imminutionem* reſpiciunt: etiam ſubjecta vel *ante hac actualibus* Hæmorrhagiis obnoxia fuerunt, vel adhuc in *plena diæta* verſantur, quid quod interdum *plethoricum* habitum præ ſe ferunt; ſubinde *talibus cauſis* ſe exponunt, quæ ad *plethoræ commotionem* undecunque quadrant, ſive ex *anima* ſive aliunde concurrant; inter illas cauſas vero annotari meretur *venereum* exercitium, quod non modo *animi* immoderatos *motus* excitat, ſed & *illas partes* in *conſenſum* ducit, *è quibus* mictus cruentus adminiſtratur: Quod vero hæc Hæmorrhagia *ſenibus* propria ſit, *duplex* ratio atque cauſa concurrit, una *proximior* altera *remotior*: quod *poſteriorem* attinet, tunc *conſuetudo occupationis* naturæ in *officina ſpermatis*, eò diſponit, quo *extraordinariæ* tales ſanguinis excretiones in *talibus confiniis* exerceantur, *in quibus* hactenus *natura operoſiori* activitate *laborioſa* fuit: quoad *priorem* vero, merito in conſiderationem venit concurſus *hæmorrhoidalis* negotii, quod præcedente etiam ratione nititur; hoc *hæmorrhoidale* negotium cum mictu cruento exquiſite *complicatur* & dum interdum natura diverſis viciſſitudinibus & internis & externis & ſubtilioribus & craſſioribus *impeditur*, quo *minus congrue* è locis *hæmorrhoidalibus* ſuperfluum & *moleſtum* ſanguinem effundat, ita *alia refugia* quærit, in *alias vias* decumbit & *vicaria* exoneratione *illum defectum*, qui in *hæmorrhoidali* negotio occurrit, *compenſare* laborat: quo reſpectu mictus cruentus

entus *spontaneus* est *actus naturæ*, quo sanguinem *molestum*, quem ob *impedimenta* quædam per *hæmorrhoides* non eliminat, *vicaria* quadam ratione è *renibus* aut *vesica*, tanquam *talibus* locis, quæ apprime *cum Hæmorrhoidalibus* viis *conspirant*, sub *eadem intentione*, quo à superfluo & *incommodo* sanguine corpus suum liberet, *excernit* & proscribit: E qua *reali* declaratione facile liquet, quod natura humana mictum cruentum cum *salutari intentione* & *destinatione* suscipiat, nimirum quo sanguinem *abundantem depleat*; sed hæc consideratio facile hanc *objectionem* parit, quomodo *salutaris* naturæ *destinatio* & *sinister* effectus & *eventus* cohæreant, siquidem juxta *superius* traditas *historicas* circumstantias, *rarissime* mictus cruentus *bene* cedit: exinde facile quisquam hariolari posset, quod hæc Hæmorrhagia *non sit actus naturæ*: cui dubitationi facile etiam obviam ire volumus, quod videlicet *propter* hunc finem hic mictus cruentus susceptus sit, quod vero *senilis contumacia*, & propensio in eminentes *defectus salutares* tales intentiones *pervertat*, & propterea ad *alias aberrationes* disponat, præprimis quando ad *insolitas* tales vias non satis *adsueti* sunt senes, & ipsæ insuper *partes* quoad *texturam* & structuram suam, ita dispositæ sunt, ut facile in iisdem *labes* quædam oriri queat: tanto *minus* vero tale negotium in *senili ætate* bene succedere & ad *salutarem* eventum pertingere potest, quando *contumax* senum natura in *præcedente* alio negotio *hæmorrhagico turbata* fuit, unde eo facilius *sinistre* præsentis actus prosecutiones, *minus regulares* directiones, minusque *moderatæ* & *continentes* executiones hunc mictum cruentum comitantur.

§. XVI.

Ejusdem fermè tenoris est illa *oblocutio*, qua Mictus cruenti *harmonia* cum negotio *hæmorrhoidali* impugnari

 potest,

poteſt, quod Hæmorrhoides *juſtè ſuccedentes* utplurimum *eminentem ſalubritatem* inferant, *mictus* vero *cruentus* utplurimum *ſiniſtros* effectus involvat; unde *diſſenſus utriusque* Hæmorrhagiæ facile commonſtrari poteſt: cui dubitationi vero iterum ſuccurrimus, indicantes quod *propterea* mictus cruentus *hæmorrhoidalem ſalubritatem* non contineat, quia in *vicario* actu, modo, motu, ſcopo & directorio conſiſtit, quia porro *impeditam* & *turbatam ſalubritatem* hæmorrhoidalem ſequitur, quia ſub *diverſa anomalia* progreditur, quia in *tali ætate* procedit, ubi non modo *ordinariæ* commotiones & functiones *facile deflectunt* & deficiunt, ſed & *tanto magis extraordinariæ* & præcipue *inſolitæ* conſequuntur: quapropter *alia* eſt *naturæ intentio* & *deſtinatio*, ſub qua præſentem Hæmorrhagiam committit, *alia* vero eſt *adminiſtratio* & *executio*: ſiquidem in *vitali* œconomia natura *ſalutares* fines proſequitur, ſed eosdem *non ſemper* aſſequitur. Cum vero natura humana per mictum cruentum ſanguinis *plenitudini* avtocratico actu mederi laborat, ita pro hoc negotio *eosdem motus* adhibet, quibus *communiter* Hæmorrhagias proſequitur: & hi conſiſtunt in *augmento toni*, quo mediante ſangvis *ad partem* excretoriam *copioſius congeritur*, & denique eructatur: id ipſum vero interdum *ſimplicioribus* congeſtionibus, interdum ſub *concurſu* & adjumento *ſpaſmorum* perficitur; unde homines ita affecti, dolores *tenſorios*, *tractorios*, *oppletorios*, *anguſtatorios* & concurrentes *dilaſſatorios* experiuntur: accidunt nonnunquam *moleſtiæ ardentes*, quæ à *fortiori* congeſtione & *affluxu* ſanguinis *ad loca* excretoria pendent: quodſi vero hic mictus cruentus *repente ſupprimatur*, tunc vel *in renibus* vel *in veſica* urinaria *ulceroſæ* corruptiones oriuntur, quibus mox *tabidi* affectus ſuperveniunt, dum ob multiplicatam & intricatam hanc *alterationem* natura humana *priſtinum* ſuum

qua-

qualemcunque vigorem *amittit*, motus *consuetos* deserit, in *decrementum* senile decumbit, *energiam* suam a corpore suo magis magisque *abstrahit*, vel interdum in tali *extremitate* cum *hectica* febricula succurrit & denique penitus decumbit; ita evenit, ut ab *uno irregulari* refugio ad *alterum* nonnunquam delabatur, imo ex uno *errore* in alterum præceps ruat, donec *funestus* eventus superveniat: totum verum hoc schema *consecutionum* ex parte etiam *motibus* absolvitur, licet ex *accidenti* & *corruptiones* & aliæ *passivæ læsiones* coincidant: quo *spissior* porro sangvis existit, eo *difficilius* erumpit & effluit, aut si ante *ultimam* excretionem & mictionem *congrumescit* eo magis *molestias* causatur *dum excernitur*: quo *impetuosiores* etiam sanguinis *commotiones* præcurrerunt, eo *immoderatior* redditur mictio cruenta ob concurrentem adhuc *orgasmum*, quem natura dum semel *aperturam* assecuta est, *potentiori* tali exoneratione prosequitur: neque etiam oblivioni tradenda est illa consideratio, quod in *fœminis* hic mictus cruentus spontaneus primario *Menstrui fluxus vices* teneat, sicut in *viris* cum *hæmorrhoidali* negotio colludit: ut ita *natura* in *Mensium* negotio æque nonnunquam *insolitas* tales vias seligat & sectetur.

§. XVII.

Hæc *communio mictus cruenti spontanei* cum negotio *hæmorrhoidali* ita accipienda & explicanda est, quod *natura* humana, quando *externas* præcipue Hæmorrhoides circa surculos propaginum *iliacæ internæ* & *hypogastricæ* venæ *effundere* & eructare *non potest*, tunc *eosdem motus congestorios* in *aliam* partem transferat, & quidem in *talem*, quæ quoad motum *progressivum* sangvinis per *venam cavam inferioris* tractus cum *hæmorrhoidalis* sangvinis fluxu *convenit*, in *quam sanguis* hæmorrhoidalis *externus* successive *refluit*; *applicatur* propterea *motus* ille *vicarius* ad *renes*, &

quia *locus* pro hoc negotio *insolitus* est, ipsa *operatio* coeteroquin *insveta* existit, ita *congestoriæ* commotiones cum *spasmis* conjunguntur, imprimis cum *intimius* intra *corpus renum* sangvis *congerendus* sit: erumpit vero sangvis circa *astiola* surculorum venosorum de *emulgentium* prosapia, qui propius & *intimius* ad *pelvim* abeunt, quas describit *Malpighius de viscerum structura, de Renibus cap. 5.* & *Mangetus in Theatro Anatomico* ex eodem *Malpighio*; quo vero ex hisce *hæmorrhoidalibus* locis intra *renes* convocetur *vicarium* illud *molimen* hæmorrhagicum, ita adhuc *aliæ causæ* concurrunt, quarum in *superioribus* mentio facta fuit, quæ *eo recidunt*, quod per potum *diureticum*, frequentius *vinosum*, per exercitium *veneris*, copiosiores sangvinis *affluxus ad renes* convocentur, quem *motum* & quam occupationem deinde natura in illa afflictione prosequitur, quando motus *hæmorrhoidales turbati* sunt aut *impeditius* succedunt: & ex eodem fonte *ratio* fluit, cur *Mensium vitia* nonnunquam *cruentus mictus* excipiat, si quidem inter alios *Laurentius in Historia anatomica hum. corp. Lib. VII. cap. 12. controvers. anatom. qu. 11.* hunc *uteri* & *renum* consensum hisce verbis exprimit: *Renum & uteri societatem gravidarum & virginum, dum menstrua patiuntur, symptomata, dolores scilicet & tormina lumborum, satis indicant: Fit autem communio hæc per spermaticas venas, quarum sinistra ab emulgente ramo ortum ducit*: ita ut motus sangvinis *progressivus* per *iliacas* & *hypogastricas* & deinde per *emulgentes* eminente hac *communione* gaudeat, & propterea natura sub *mensium turbis* intra *renes* & in iisdem *refugia* sua quærat: Quanquam vero *usitatius* mictus cruentus *e renibus* contingat, tamen adhuc annotatione digna illa observatio *Anatomico-Pathologica*, qua inter *motum* sangvinis *hæmorrhoidalis* tum *interni* tum *externi*, & inter *motum* sanguinis per *vesicam urinariam* perinde aliqua *com-*

munio

munio intercedit, ob quam ſanguis etiam circa *venulas veſicæ urinariæ* erumpere poteſt, ita quidem ut *illa* evacuatio æque *Hæmorrhoidalibus* & *menſtruis* purgationibus *vicario* miniſtrante actu cohæreat: hæc enim *veſica venas* ſuas, quas curatius *Bartholinus Fr. Sylvius & Spigelius* deſcribunt, in *hypogaſtricas* dimittit, in *quas* hæmorrhoidales *externæ* venæ etiam tranſeunt, ita ut ſangvis *hæmorrhoidalis externus* & *ſanguis veſicæ urinariæ* in *refluo* ſuo motu *intra iliacam internam* pertingat: hinc contingit, ut ſi *Hæmorrhoides externæ* non commode effundantur, tunc natura *haud procul* à locis illis *hæmorrhoidalibus* motus congeſtorios *intra veſicam* transferat: ita harum *venularum* illiusque *conſenſus* mentionem faciunt *Hæchſtetterus obſerv. medic. Dec. I. caſ. 2. Bauhin. Lib. I. anot. c. 20.* & hæc quidem quoad *conſenſum* mictus cruenti cum *Hæmorrhoidibus* externis obſervatione digna ſunt; hinc Mictus cruentus etiam cum ejusmodi *affectibus alternat*, qui *illas partes* affligere deprehenduntur, *intra quas* propagines *iliacarum* venarum ſeſe immergunt: meretur vero adhuc animadverſionem hæc circumſtantia, quod mictus cruentus cum *motu* ſangvinis *hæmorrhoidali interno* conſentire poſſit; quemadmodum juxta *Verheynii* obſervationem *veſica urinaria* etiam de ramulis *hæmorrhoidalis* venæ *internæ*, præter *hypogaſtricas* propagines, participat, ut propterea in negotio *hæmorrhoidali interno* perturbato natura motibus ſuis *hæmorrhagicis* in *veſicam urinariam* decumbere queat: talis *parallelismus* occurrit in *utero*, qui quoad *vaſa* tam de *iliaca* quam de *hæmorrhoidali interna* vena participat, unde *menſes* cum affectibus *hypochondriacis* & *iſchiadicis*, *lumbaribus* conſentiunt: & quamvis *venæ* quæ *veſicam urinariam* ingrediuntur, non *intimius* penetrent, tamen ea propter hic *exitus* naturæ *per veſicam non impoſſibilis* eſt, licet paulo *difficilior* exiſtat, ſubinde etiam

longe *difficiliores* viæ occurſent, è quibus eadem natura cum actu hæmorrhagico nonnunquam ſpontaneum exitum nacta eſt.

§. XVIII.

Brevibus adhuc perpendere placet, quomodo Mictus cruentus *violento* & *coacto* modo provocetur, quales modos in hiſtorica tractatione commemoravimus: quod enim illam ſanguinis mictionem concernit, quæ *calculo* renali imputatur, tunc haud quidem *penitus* negamus, quod calculi *acuminati immodeſtius* in renibus impulſi & *commoti*, renes jam aliàs actuali læſione exulceratos *offendant* & in illa *ſuperficie*, qua eosdem contingunt, *dilacerent*, ſiquidem ad talem cruentationem *immoderatæ* commotiones corporis diſponere ſolent, ubi *Bonetus in Anatom. Pract. Lib. 3. Sect. 28. obſ. 9.* varios tales caſus proponit, *Salom. Reiſelius in Miſcellan. cur. anni 1671. obſ. 178.* inprimis ab obſervatoribus notatur, quod ejusmodi mictiones cruentæ per *equitationes* maximè vero *intenſiores* exacerbatæ fuerint: proinde cruentæ tales diureſes non ſemper acuminatis calculis imputandæ ſunt, cum in affectu calculoſo non raro talia *remedia* adhibeantur, quæ renes *ſtimulant*, & *poſitivè diuretica* qualitate irritant, ut conſuetæ *congeſtoriæ* ſanguinis commotiones, ad *renes* directæ, nunc eò magis *augeantur*, & denique exulceratis renibus talem ſanguinolentam eruptionem & ſic dictam extravaſationem cauſentur: quemadmodum aliàs remedia cum *draſtico* effectu renes *ſtimulantia*, & continuante cauſtica efficacia eosdem offendentia, immoderatam *congeſtionem* ſanguinis intra renes & violentam denique eruptionem poſt ſe trahunt, uti *canthárides*, *Linaria*, *Cryſtalli Lunæ &c.* teſtantur: id quod tanto magis in ſubjectis *plethoricis* & in viis urinariis *ſenſibilibus* contingit, in quibus etiam mitiora diuretica tales immoderatas congeſtiones ad renes, cum violento effectu ſanguineæ

eru-

eruptionis exeuntes, excitarunt: ejusdem efficaciæ sunt remedia *volatilia* in *nonnullis* plethoricis subjectis, quæ partim *orgasticam* commotionem sanguinis excitant, partim vias urinarias *stimulant*, adeoque copiosum & impetuosum *affluxum ad renes* provocant, qui interdum cum violenta tali *sanguinis eruptione* excurrit: sic aliquando *immoderata* exercitia *venerea* vario modo mictum cruentum causantur, dum vel simultaneum & *imm... ratum* affluxum sanguinis *intra renes*, ad *vesicam* & *partes spermaticas* provocant, qui sub impetuosa commotione corporis in talem violentam eruptionem desinit: non minus post nimis *prodigam* spermatis ejaculationem denique *sincerus* sanguis è locis genitalibus emittitur: sic *D. D. Præsidi* contigit casus, ubi Studiosus plethoricus è vehementiori *contusione pectinis* & fortiori compressione membri virilis in immanem mictum cruentum incidit, quem D. Præses cum injectione Nitrata cohibuit: sic violentæ *inguinum* & *pectinis contusiones dilacerationem* venulæ in vesica causari solent; uti in *plethoricis* subjectis & quibus alias corpus *tenerum* est frequens & acerbior *stranguria* sub *spasmodica* sphincteris vesicæ contractione, talem sanguinis expressionem & mictionem cruentam nonnunquam post se trahit: ad quas principaliores rationes & considerationes plurimæ reliquæ violentarum sanguinearum mictionum referendæ sunt.

§. XIX.

Mittimus nunc pathologicam Mictus cruenti explicationem & ad *Practicam* illius tractationem nos convertimus in hac *primò* notabimus potiores *antipraxes* & tentamina practica quæ hunc affectum *offendere* solent iterum vero principaliorem respectum ad *spontaneum* mictum cruentum dirigimus, in hoc itaque nocent *potentes* & *simultaneæ* evacuationes cum multa *humorum commotione* &

via-

viarum stimulatione succedentes: nocent vero vicissim *ordinariarum* excretionum *perturbationes* aut negligentes promotiones: imprimis nocent *simultaneæ* hujus mictus *suppressiones*, tanto magis in *senibus* valde *plethoricis*, *activioris* indolis & *floridioris* adhuc habitus: obsunt *prœmaturi* qualiumcunque *adstringentium* remediorum usus, & nimis *frequentes* atque *diuturnæ* illorum ordinationes: *fundamentalis* etiam error est, quando nulla ratio habetur & consideratio instituitur conjuncti *negotii hæmorrhoidalis* vel aliarum *salutarium* Hæmorrhagiarum præcedentium primariarum: nocent *communia* remedia *refrigerantia*, immoderatè *incrassantia*, & valde *acida*, quæ ad varios perversos successus & effectus disponunt: nocent vicissim quælibet *acria*, *calefacientia* & humores valde *commoventia* remedia, tanto magis concentrata, *spirituosa* & *oleosa*: hoc nomine perquam nocent *concentrata* talia remedia *therebintinata*, *succinata*, *anisata*, *sulphurata*, *juniperina*: ita etiam huic affectui minimè quadrant *salia volatilia curatorio* scopo ordinata: absint remedia *vulgaria balsamica* exotica, *acria* quæ in communi praxi in renum morbis commendantur, ut sunt *balsamus Peruvianus*, & *Copaiva*, *Mumia*, *myrrha*, imprimis *vigente acerbiori* hujus affectus gradu: officiunt qualiacunque remedia *salina*, quotquot *renes* moleste *stimulant* & offendunt: ita nocent *externa repellentia*, & vulgata *refrigerantia*: nocent communia *crudiora* remedia *aloëtica* & *helloborina*, quæ motum sanguinis in *inferiores* abdominis regiones *exacerbant*: non exiguum damnum inferunt *communia narcotica*, quæ præcipue in *senibus* & in *renum affectibus* cum maxima prudentia adhibenda sunt: eò certius, citius & efficacius nocent *diuretica positiva* remedia, quæ interdum ad calculum profligandum ordinantur, sed eo ipso affluxum sanguinis ad renes provocant & exacerbant: nocent analeptica &

robo-

roborantia acriora & concentratiora, quæ magis *motus* exacerbant, quam *vires* refocillant: neque etiam *præmaturus* & *prodigus* ita dictorum *specificorum* usus confert, quia ad *repentinas* mictus cruenti *obstructiones* disponunt: nocent *terrea* illa *adstringentia* subjecta ex animalibus adversus Hæmorrhagias commendari solita, ut dens Hippopotami, Lapis Manati, Priapus Ceti, quæ non modo *repente* hunc mictum cruentum supprimunt, sed & negotium *hæmorrhoidale* eo magis *turbant* & opprimunt: nocent *balnea refrigerantia*, quæ repentinis & gravissimis turbis ansam præbent: multum etiam nocent in hoc affectu *communia nephritica*, quæ calculosis afflictionibus opponuntur, quippe quæ *vias urinarias* sensibilius *stimulant* & offendunt; proinde etiam ad *exacerbandum* mictum cruentum *spontaneum* magis quadrant, *speciosa*, artificiosa, *chymica* remedia, siquidem *simpliciora* & *leniora* auxilia longe *securiorem* & certiorem efficaciam promittunt: neque denique *acidularum* usus in hoc affectu aliquam fidam & securam utilitatem affert, cum acidulæ magis vias urinarias *stimulent* & *commoveant*, quam *leniant* & *contemperent*: hæ singulæ cautelæ spontaneum mictum cruentum concernunt, de quo nobis præcipuè sermo est.

§. XX.

Ad *positivam* mictus cruenti *spontanei* curam nunc accedimus & monemus, quod in primo hujus Therapiæ limine solicite observandum sit, an *alvina* excretio *libera* sit, cujus defectus *promovendus* est per *lenia laxantia*; cavendo ne *actualia* & *stimulantia* purgantia, neve *vulgaria* aloetica remedia exhibeantur: conferunt potius *Rhabarbarina* vel in substantia, vel in simpliciori infuso; nec non *passulata*, *prunata*, *abstersiva*, *salia Tartarisata*: & si *positiva* obstructio, *firma* ani occlusio, *flatulentiæ* concursus, *siccitas* intestinorum adfuerit, tunc *clysteres lenientes*, oleosi

emol-

emollientes & moderatè roborantes conducunt: proinde dijudicandum est an in hoc affectu *V. Sio* utilis & necessaria existat: quamvis vero hæc sanguinis ventilatio *artificialis* magis *præservatoriè* conferat, haud quidem ita *metuenda* & abominanda est subtractio sanguinis *in senibus*, cum quotidiana experientia *vulgares speculativas* oblocutiones abunde refellat: tanto magis *talis evacuatio* etiam *senibus* proficit, quo magis illi *antehac artificialibus* sanguinis ventilationibus adsveti fuere, quo magis adhuc *viridi* senectute gaudent, quo magis *plethorici* deprehenduntur aut conspiciuntur, quo magis in *diæta lauta*, & *plena* versantur, quo magis *vini potui* & *aromatum* usui indulgent, quo magis *animo* sunt *activi* & *præcipites*, quo magis *patheticis* commotionibus sunt obnoxii, aut frequentius *veneri* litant: quodsi etiam mictus cruentus *immoderatior*, è causa *impetuosæ* efficaciæ commotus, patiens *plethoricus* & sangvis in *orgastica* commotione constitutus fuerit, tunc in ejusmodi *necessitate curatorie Ven. Sect.* admittitur; *extra has* circumstantias vero *præservatoria* conducit, sive in *pede*, sive in *adsuetis* in *brachio* celebretur: proinde etiam *præservatoriis* usibus commendanda est in subjectis *hæmorrhoidariis hirudinum* applicatio ad *hæmorrhoidalia* loca, cum qua evacuatione *hæmorrhoidali* negotio, cum quo *mictus cruentus* apprime *cohæret*, *directa* quædam sublevatio accedit: *propius* vero ad *motuum* in mictu cruento occursantium *congestorio-spastico*-excretoriorum mitigationem conveniunt remedia *lenientia* & *temperantia*: è numero *priorum* sunt *emulsiva*, *lacticinia*, *jusculа gallinacea*, decocta *mucilaginosa*, *Gelatinæ*, infusa aquea calida, imprimis herbæ *veronicæ*, pultacea liquidiora; à posteriorum censu sunt *absorbentia cum acidis* saturata & *nitrosa* remedia, quæ ad motuum & humorum contemperationem conveniunt: quodsi etiam singu-

singularis sangvinis *turgefactoria* commotio concurrerit, tunc commode *corallia rubra* præparata prædictis temperantibus remediis conjungi possunt, aut iisdem subjungi potest usus Tincturæ Corallorum parcus, neque *nimis* frequens; & hæc remedia in mictus cruenti cura *præmittenda* sunt, ita ut *mitiori* & *leniori* effectu ipse mitigetur, cum non securum sit *confestim adstringentia* remedia exhibere, aut curam cum *horum* usu *exordiri*, nam quo *lenius* tractatur, eo *securius* & *melius* totum negotium decurrit & vice versa.

§. XXI.

Quando vero *hactenus* recensitis remediis hic fluxus non *obtemperat*, tunc *efficaciora* auxilia, *moderate* tamen *cohibentia*, subordinanda sunt, hæc vel in *incrassantibus* vel *tonicis* vel *selectis sedativis*, vel ita dictis *specificis* consistunt: ad *incrassantia* spectant *Gelatinæ*, imprimis C. C. *Gummi arabicum*, cerasorum, tragacantha, cum decoctis prædictis combinanda, aut thus, mastyx, succinum, therebintina in forma pillularum aut electuariorum exhibenda: *tonica* remedia sunt *subtiliores* Croci martiales cum pulveribus *temperantibus* miscendi, ut Croc. Mart. antim. Stahlii, Croc. Mart. Cachect. Quercetani & Zwelfere, antimon. martial. diaphoret. Ludovic. Tinctura Martis Tartarisata, Tinctura Vitrioli Martis Tartarisata Ludovici, Tinct. Corallorum, Liquor mineræ mart. Hassiacæ, huc adhuc pertinent species de Hyacinth. Trochisc. de Carabe: *dum* vero hæc *tonica* adhibentur, *providè* observandum est, an *alvus libera* sit, quæ si post usum illorum remediorum *deficere* videatur, *lenientibus* & *laxantibus* remediis in *ordinem* ducenda est: deinde hisce *tonicis* remediis vel *conjungi* vel *subordinari* debent prædicta *temperantia* & *lenientia*, ne *majorem*, quam confert, *adstrictionem* post se relinquant: neque talia *tonica* remedia *nimis magna* quantitate, aut *ni-*

mis diu offerenda ſunt, ſed potius ſub ſubordinatione ſufficientis *diluentium* quantitatis admittenda: quando itaque *primarius* impetus hujus evacuationis mitigatus eſt, *tunc* ſalium volatilium uſus *tonicum* talem effectum promittit, ubi ſpiritus C.C. cum Eſſentia ſuccini & Tinctura antimon. Tartariſ. modica quantitate mixtus proficit: quod vero *ſedativorum* uſum attinet, tunc cum iisdem *cautè* procedendum eſt, concedimus tamen Cinnabarin, ſub emulſionibus Sem. Papav. alb. deinde admittimus MP. de Cyngol, & Tincturam Chaccarill. quæ cum Eſſ. ſuccin. & Cort. aurant. offerenda, vel quæ cum Tinctura Corallorum mixta citius impetuoſum hunc mictum cruentum cohibet: aut poteſt extractum chaccarillæ cum corall. rubr. ppt. cum C. C. Spec. de hyacinth. & ocul. 69. c. acet. Citr. miſceri, qualis pulvis in hoc affectu non inutilis eſt: quod denique *ſpecifica* remedia attinet, tunc eadem communiter *ſubtilioris adſtringentis* efficaciæ ſunt, quæ propterea non confeſtim in *primis* affectus *initiis* uſurpari debent, ſed quando *alvus liberata* & aliquoties *temperantium* remediorum uſus præmiſſus eſt: hoc nomine laudamus Eſſentiam Millefolii cum eſſentia quadam roborante mixtam, ita etiam conducit ſuccus & decoctum urticæ, aut Equiſetum ſive in ſubſtantia, ſive in decocto, aut Hedera Terreſtris, Polygonum, Pentaphyllum, Vinca per Vinca, Burſa Paſtoris, Virga aurea Geſneri, quales ſpecies in decocto, addito quodam roborante ſubjecto ſive Cort. Citr. ſive aurant., ſive Cinnam. admodum proficiunt, quo hic mictus coerceatur: ſed iterum poſt illorum uſum præcavendum eſt, ne alvina excretio aut ordinaria diureſis deobſtruatur, unde diluentia lenientia & temperantia conjungenda aut ſubordinanda ſunt; proinde *Solenander Conſ. med. Sect. 3. Conſ. 27.* decoctum veronicæ & prunellæ cum vino paratum in mictu ſanguinis diuturno admodum commendat: neque contemnen-

mnendæ utilitatis exiſtit: quod vero Agrimoniam & Hypericum attinet, tunc & cum hisce ſpeciebus circumſpecte procedendum eſt, ne ſuſpectam & repentinam adſtrictionem cauſentur: idem cenſendum eſt de pimpinella Italica & decocto chamepytios, quod à Sulzbergero pro ſpecifico in hoc affectu habetur: conſultius vero agunt & ſecurius procedunt, qui à talibus ſpecificis, quantum per neceſſitatem & occaſionem fieri poteſt, abſtinent: non enim de eo contentus ſit artifex, quod mictus cruentus *tantum cohibitus* ſit, cum nudam & *crudam* illius *ſuppreſſionem* gravia damna *conſequantur.*

§. XXII.

Sicut etiam *vulgo* in *Renum* morbis *topica* remedia ordinantur, ita paſſim in *mictu cruento externa* adminicula commendata obſervantur, quæ vero haud *ſingularis* utilitatis ſunt, cum inter *renes* & *externam* lumborum regionem nulla *materialis* communio intercedat, ita ut medicamenta *extrinſecus* applicata minime *intra renes* penetrent: *alterius* vero conſiderationis eſt *communio motuum*, quam inter *externam* remediorum applicationem & *internam* curationem intercedere obſervamus, propterea que eandem non negamus: quo magis itaque in tali ſtatu motus *ſenſibiles* & delicati ſunt, eo major etiam *circumſpectio* cum topicis remediis obſervanda eſt: ſunt qui partim *refrigerantia*, partim *adſtringentia* commendant, uti famoſum illud Ungventum Comitiſſæ hoc nomine inter veteres ad hunc affectum adhibitum legitur, quod ſicut è multis & potentibus adſtringentibus compoſitum eſt, ita cum maximo moderamine ordinari debet, ad minimum non convenit, quando affectus in *acerbiori* gradu conſtitutus eſt: *lenius* operatur Ungventum infrigidans Galeni: talia topica vero remedia magis conveniunt, *quando primarius* impetus hujus affectus *deferbuit* &

 quando

quando *lenientia* & temperantia remedia *præmissa* fuerunt, tunc admittimus cataplasmata & fomenta è nervinis, discutientibus & remissius adstringentibus speciebus parata: Quando itaque hic mictus cruentus *remisit*, tunc *circa finem* curæ partim *tonica* prosunt, quæ locis hactenus affectis robur conciliant, ne *futuris* humorum infarctibus & *affluxibus* pateant, quo Mixturam è spiritu volatili & Tinctura antimon. tartaris. paratam ordinamus, partim *interna abstergentia*, modeste *balsamica* & *resolventia*, ne *grumuli* quidam sanguinis effusi remaneant: huc conducunt pillulæ balsamicæ Stahlianæ, vel aliæ pillulæ parandæ ex extractis amaris, exigua quantitate Myrrhæ, aut Gummi Juniperino, Therebinthinæ venetæ modica copia, aut in certis subjectis refracta quantitate balsami de copaiva addita; cavendo tamen ne talis balsamus nimis frequenter ordinetur: prosunt huc etiam Pillulæ de succino Cratonis: *Præservatur* hic mictus cruentus *V. Sectione* opportuna & *hirudinum* applicatione, maxime vero in aptis subjectis congrua *Hæmorrhoidum apertione*: excretiones *ordinariæ* conserventur in ordine justo: diæta sit *modica* non valde aromatica, sed *temperata* & *diluens*; imprimis conferunt in diæta juscula *mucilaginosa*, *gelatinosa* gallinacea: prosunt etiam moderato usu lacticinia & pultacea: potus quidem convenit *sufficiens*, sed *non valde* vinosus, non admodum *diureticus*, non *fæculentus*, *inebriativus*, spissus & *primis viis* turbas inferens: motus corporis sit quidem sufficiens, sed moderatus, non excessivus neque simultaneus: vigiliæ multæ evitentur, animus sit tranquillus, imprimis vero quoad *venereas* concupiscentias & exercitationes maximum moderamen servetur: interdum moderati *insessus* conferunt. Quod denique *coactum* & *violentum* mictum cruentum attinet, tunc in illius cura observare convenit, an *alvus* sit *libera*, quæ si adstricta fuerit *le-*

niatur & aperiatur, tunc exhibeantur *temperantia*; si subjecta fuerint valde *plethorica* & affectus *impetuosus* sit, conducit moderata *Ven. Sectio*: præterea subordinentur *incrassantia*, *lenientia mucilaginosa*, gelatinosa, porro *tonica* & *cohibentia* temperata, maxime decocta interponantur *interna* & *externa* roborantia & denique *circa finem* subjungantur *abstergentia* & selecta balsamica, quæ sine magna humorum commotione & viarum stimulatione operantur: *præservatorie* vero continentia bona in animo & corporis commotionibus inculcanda est: Et ita etiam *practicam* hanc commendationem obsignamus, Deo persolventes humillimas gratias, quod in elaboranda hac materia vires & intellectum concesserit: cui vicissim hunc laborem consecramus, insuperque rogamus, quo eundem gratia sua prosequi velit, ut in sui gloriam, proximi commodum & medicæ artis emolumentum cedat.

